Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Terrae sanctae vetus effigies ex. scripturae libris adumbrata - Cod. Ettenheim-Münster 117

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput IV.

urn:nbn:de:bsz:31-111337

Visual Library

nomine nuncupata fuerit *, idque inde evincitur, quod cum Christus et discipuli ejus mare istud transfretassent, in terram Genesar seu Genesareth, quae eadem est ac Cenereth venerint. Math 14, 34. Marc 6, 53.

Jam aetate Moysis nomen hoc mare Cenereth usurpatum fuit, Num 34, 11. et deut 3, 17. ubi simpliciter Cenereth nuncupatur. Maris Cenereth etiam meminit Jos. 13, 27.

276.

10.mo Abel seu Abela urbs illustris et mater in Israël nuncupata 2 reg 20, 19. In parte septentrionali terrae Israëliticae sitam fuisse colligimus ex 2 reg 20, 14. ubi Joab cum ad eam obsidendam pergeret, à Jerosolyma ad septentrionem per omnes tribus Israëlis progressus fuisse dicitur. posita fuisse videtur ad occidentem vel ad austrum Caesareae seu Dan; quod innui videtur 3 reg 15, 20. ubi Benadad Rex Syriae, qui regiam habebat in Damasco „ misit principes „ exercitus sui in civitates Israël, et percusserunt Ahion „ et Dan, et Abel domum Maacha, et universam Cenneroth „ omnem scilicet terram Nephtali.

Duplici nomine vocatur 2 reg 14, 15. nempe Abela et Beth-Maacha; et 3. reg 15, 20 ut primum retulimus; Abel domus Maacha /: Domus hebraice Beth dicitur:/ forsitan ut ab alijs urbibus Abela nomine dictis distingueretur, à loco vicino Beth-Maacha cognomen accepit.

In hanc se receperat Seba, qui rebellionem adversus David suscitarat, 2 reg 20, 1. quo veniens Joab urbem invasit, sufossisque jam muris, aggressionem parabat, cum mulier quaedam prudentiae fama insignis ex alto moenium Joab allocuta quaesivit, an ad urbem excidendam venisset, neganti illi, seque arma in unum Sebam misisse profitenti, femina statim ejus caput ad ipsum missurum spopondit, quo quidem mulieris persuasione a populo peracto, Joab obsidione soluta recessit. Dein post Asa Rex Juda cum Baasa Rege Israël simultates gerens foedus iniit cum Benadad Rege Syriae, hicque vi foederis urbem hanc et totam Nephtali occuparat. 3 reg 15, 18 seq.

CAPUT IV.

De Trachonitide.

277.

seu De Dimidia Tribu Manasse trans Jordanem.

Trachonitidis nullus sacer scriptor meminit nisi S. Lucas, qui Evangelij sui C 3, v. 1. memorat anno decimo quinto Tiberij Philippum Herodis magni filium tetrarcham fuisse Ituraeae et Trachonitidis; ubi Ituraeae nomine ambas tribus Ruben et Gad, et per Trachonitidem dimidiam tribum Manasse trans Jordanem intelligit; hoc enim nomine veniebat tota illa trans Jordanem regio, quam deletis illius incolis Moyses et Josue huic dimidiae tribui tradiderunt. Num 21, 33. 32, 33. deut 1, 4. 3. 1, 2, 13, 11, 13. Jos 12, 4. 6. et 13, 29.

Igitur illius hi fuerunt termini, ad orientem montes Arabiae deserta seu Galaad, ad meridiem Tribus Gad seu Ituraea, ad occidentem Jordanes, et ad septentrionem montes libani. Postmodum in varias provincias distributa fuit, quarum praecipuae, et quibus aliae minores continebantur, sic vocatae fuerunt, nempe Trachonitis, Batanaea, et Gaulonitis. Trachonitis à Trachonibus binis collibus, quos Strabo l. 16 p. 755. in vicina Damasci collocat sic dicta, plagam Tribus Manasse septentrionalem, occupabat; eam tamen omnes intra fines terrae Israëliticae, quam Moyses et Josue duodecim tribubus assignarunt, contineri non audet Relandus l. 1, c. 3, p. 104. Ad meridiem Batanaeae conterminam erat, videtur in se continuisse regionem Gessuri et Machati, de qua fit mentio Deut 3, 14. ubi dicitur Jair filius Manasse possedisse omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati; et 1 par 2, 23. legimus eum Gessur et Aram * id est Gessur Syriae cepisse. unde colligi potest, regionem hanc vel ad Syriam spectasse, vel saltem ei omnino vicinam fuisse. Hujus regionis incolas ab Israëlitis non deletos fuisse, sed in medio

* Aram regio, quam posteriores Graeci Syriam vocavere ab illius populis Syros, qui prius Aramaei dicebantur.

eorum habitasse Jos 13,13. memoratur. Isboseth filius Saul
Rex constituitur super Gessuri 2 reg 2, 8, 9.
Gessur regnum fuit, cujus Regis filia Davidi nupta Absalon
genuit 2 reg 3,3. qui post caedem fratris ad eum confugit
ibid 13, 37. Videtur tamen regnum hoc aliud fuisse à re-
gione Gessuri transjordanica, ex qua, quae primum de Jair,
et Isboseth annotavimus; quam in Trachonitide fuisse quo-
que diximus, quo nomine tota Tribus Manasse postmodum
nuncupata fuit; sunt tamen, qui velint illud ab ea minime
distinctum fuisse.
Quando autem Trachonitidis nomine universa dimidia Tri-
bus Manasse trans Jordanem nuncupari coeperit, ignotum
est, forte postquam à Phul et Theglath-phalasar Assyriae
Regibus dissipata ejusque populus in Assyriam deducti fuere
1 par 5, 26. Tum enim etiam proprium illius nomen anti-
quatum fuit. certè jam Christi aetate hoc nomine totam illam
regionem, quam Moyses et Josue Num 32, 33. deut 3, 13 Jos
12, 4. 6. et 13, 29 Dimidiae huic Tribui tradiderunt, venisse,
testis locuples est S. Lucas 3, 1.
Batanaea nomen nuspiam in sacris literis occurrit,
sed ejus loco Basan frequenter ponitur, atque etiam num
~~Prophetae~~ scriptis illius sub hoc nomine meminerunt, ut
ps 67, 23. 134, 11. 135, 20. Isa 2, 13. 33, 9. Jerem 22, 20 50, 19
Ezech 27, 6. mich 7, 14. Nahum 1, 4. Zach 11, 2. Basan
autem regnum fuit Amorrhaeorum, cujus ultimus Rex
Og prodigiosae magnitudinis gigas à Moyse devictus fuit,
regioque dimidiae Tribui Manasse tradita Num 21, 35 et 32, 33.
deut 1, 4 et 3, 1. 2. 3, 11, 13. Jos 12, 4. 6. et 13, 29 Basan etiā
regionem Argob in se complectebatur. Deut 3, 4. 14 et
3 reg 4, 13.
Batanaea seu Basan Trachonitidis meridionalis fuit,
atque versus orientem montes Arabiae seu Galaad usque
protendebatur, et ad meridiem usque ad fluvium Jaboc,
quo ab Ituraea seu Tribu Gad separabatur. Denique ad
occidentem habebat Gaulonitidem, quae à mari Tiberiadis
usque ad Jordanis fontes extendebatur; provinde perperam
ab aliquibus prope montes Galaad collocari et à mari
Tiberiadis longius removeri videtur. Gaulonitidem autem
olim partem fuisse regni Basan habemus ex Jos 20, 8. et
1. par 6, 71. Caeterum Batanaea seu Basan ferax habeba-
tur, ejusque pra caeteris pascua, quorum, et armenta
Scriptura commendat, Deut 32, 14. Haec de Trachonitide
seu dimidia Tribu Manasse ejusque provincijs genera-
tim, modo praecipua illius loca et urbes exponimus.
Igitur occurrit
278 ~~276.~~ 1mo Jabes-Galaad urbs sita ad radices montis Galaad
in plaga meridionali Trachonitidis seu dimidiae Tribus Ma-
nasse Gerasam versus. Hanc urbem diripuere Israëlitae, quod
cives arma in Benjamitas unacum ipsis injuriam injuria
Levitae alicujus uxori in Gabaon illatam ulturis capere re-
nuissent, Jud 21, 8. Eandem postea obsedit Naas Rex Am-
monitarum, qui à civibus exoratus, ut eos datis conditionibus
reciperet, respondit, se non alia conditione eos recepturum, quam
ut urbe ~~[illegible]~~ dedita dextero oculo orbari paterentur. Ipsi
septem dierum inducias petierunt, intra quos, nisi suppetiae
ferrentur, illius arbitrio commissuros se spoponderunt. In-
terim Rex Saul hujus urbis intellectis angustijs cum exer-
citu superveniens, hostibus caesis obsidionem solvit 1 reg 11, 1 s.
Beneficium hoc Incolae Jabes eidem rependerunt, cum
illius cadaver moenibus Bethsan à Philistaeis appensum cla-
sustulerunt, et in nemore urbi proximo sepulturae manda-
runt 1 reg 31, 12.
279 2do Gerasa urbs ad orientalem oram maris Tiberiadis
posita in plaga meridionali dimidiae Tribus Manasse seu
Trachonitidis, caput regionis, quae ex ipsius nomine Gera-
senorum dicitur. In eam cum venisset JESUS binos ho-
mines à daemonibus obsessos obviam habuit, e quibus effe-
ratos hos spiritus ejecit, qui accepta ab ipso facultate
in porcos, qui tunc ibidem pabulabantur, intrantes

illos in mare præcipites egerunt Math 8, 28, 37. Marci 5, 1 sq et Lucæ 8, 26, 27. unius duntaxat dæmoniaci meminerunt, quia hic ferocior erat, et forte in ea regione notior.
Gerasæni aliquibus iidem fuisse videntur ac Gergesæi, de quibus Gen 10, 16 et 15, 21. deut 7, 1. Jos 3, 10 et 24, 11 1. par 1, 14. et 2 Esd 9, 8. In Græcis S. Marci 5, 1. et S. Lucæ 8, 26. nec non in quibus etiam Græcis S. Mathæi 8, 28. exemplaribus Gadareni vocantur. unde et urbs Gerasa, Gergesa: item Gadara nuncupata invenitur.
280. 3tio. Magedan urbs trans mare Tiberiadis prope Gerasam ad septentrionem. postquam Christus quasi quatuor millia hominum septem panibus et paucis pisciculis pavisset, transmisso mari in hujus urbis fines venit; ubi Pharisæi et Sadducæi ab eo signum de cœlo petierunt; quibus increpatis navi conscensa denuo abiit trans fretum Math 15, 39 et 16, 1 sq Marci 8, 10 sq ubi hic Evangelista loco Magedan quod habet Mathæus, ponit Dalmutha, dicitque, Christum in partes Dalmutha venisse. S. Augustinus arbitratur unum eundemque fuisse locum sed binomium: at forte fuerint duæ urbes seu oppida sibi mutuo vicina, in quarum ~~[illegible]~~ confinis fines venerit.
281. 4to Camon urbs in ~~[illegible]~~ Galaaditide seu terra Galaad posita saltem Galaad ad Euro-aquilonem, in qua Jair Judex Israël sepultus est Jud 10, 5.
282. 5to. Cedar. Græci interpretes nomen hoc Galaad vertunt; ex quo apparet illo regionem Galaad seu Galaaditidem designari; quæ ad orientem Jordanis et ad radices montium Arabiæ desertæ imo intra hos montes, qui etiam montes Galaad nuncupantur, sita fuit. Augustinus Calmet ait Cedarenos Arabiæ desertæ regionem tenuisse Nabathæis* proximam: addit, difficile esse certum hujus populi domicilium reperire, cum nec in urbibus, nec in domibus, sed in tentoriis duntaxat viverent, ut legitur Cant 1, 4. Isa 42, 11. atque sedem frequenter mutarent. S. Hieronymus ait, regionem hanc nomen accepisse à Cedar, secundo genito Ismaëlis filio; de quo Gen 25, 13 et 1. par 1, 29 filii Ismaë. Sunt qui velint sine teste tamen, Cedar fuisse urbem ad orientem Jordanis sitam, quidam aiunt, eam supra montem collocatam fuisse; quod nomini Kedar, quod obscurum significat non satis convenit. Cedar aliàs etiam meminit Scriptura Judith 1, 8. ps 119, 5. Isa 21, 16 ... 42, 11. et 60, 7. Jer 2, 10. et 49, 28. Ezech 27, 21.

* Nabathæi, à regione Nabajoth, quam Isaias 60, 7 memorat, sic dicti Arabiæ populi, Machabæorum amici 1 mach 5, 25 et 9, 35. ubi Nabuthæi vocantur. Epiphanius hæres lib 10 vel 30. Ebionitas præcipuè à Nabathæa et Basade accersit.

6to Corozaim urbs Decapoleos ad ripam orientalem Jordanis, ubi mare Tiberiadis intrat e regione Capharnaum sita. sunt tamen, qui post S. Hieronymum eam in Galilæa ad latus occidentale ejusdem maris bis mille passibus à Capharnaum versus septentrionem collocant. Christus JESUS pluribus editis miraculis, ac repetitis prædicationibus hanc urbem excoluit, verum cum frustra se laborare intelligeret, ultimum ei minitatur exitium Math 11, 21. luc 10, 13. aliàs nullibi in Scriptura hujus urbis est memoria. Jam diu penitus excisa fuit, ut nullum ipsius extet vestigium. forte jam S. Hieronymi ætate non amplius supererat; unde non mirum, quod circa situm illius scriptores inter se dissentiant.

4 et v. 30. et 33. meminit loci Asor quem ~~quidam volunt~~ fuisse et Cegnet Cedar vicinam urbem indicare videtur Propheta. 287.

284. 7mo. Argob urbs caput ejusdem nominis regioni in Basanitide, in qua occurrunt 60 illæ urbes Havoth-Jair id est villæ Jair appellatæ, proceris mœnibus et firmis portis notissimæ, pluraque alia oppida et vici. deut 3, 4. 14. et 3 reg 4, 13. Eusebius urbem Argob 15 milliaribus à Gerasa ad orientem collocat.
285. 8vo Gessur urbs caput ejusdem secum nominis regionis in Trachonitide non procul à monte Libano inter fontes Jordanis et montem Hermon sita; de qua supra n egimus.
286. 9no Gaulon urbs celebris, quæ Gaulonitidi medicæ regioni, de qua superius, nomen indidit. Tribui Manasse Transjordanicæ cessit deut 4, 43. ubi Golan nuncupata ac deinde levitis è familia Gerson, et inter urbes refu-

×

gij deputata Jos 21, 27. ex hac urbe ortum dixit quidam Judas, qui in actis Apost 5, 37. Judas Galilaeus nuncupatur. de quo egimus supra C 3, n in not. certus ejus situs ignoratur.

287 Jephte patrem habuit nomine Galaad et matrem unam ex ejus concubinis: à fratribus ex legitimo conjugio natis velut spurius haereditatis paternae expulsus in regionem Tob se recepit, ubi collecta latronum ac praedonum manu celebritate et fortitudinem invaluit; unde vocatus à Galaaditis princeps eorum constitutus est Jud 11, 1 et seq. Tob autem fuit regio in ora Syriae septentrionali sortis dimidiae tribus manasse transjordanicae. hujus regionis meminit 1 mach 5, 13. Tubin, atque incola 2 mach 12, 17. Tubia- ni appellantur.

10mo Massa Masphath urbs in montibus Galaad posita. hic foedus inter laban et Jacob initum est Gen 31, 44 et seq. item aliud inter Jephte *ejusdem urbis incolam et Israëlitas transjordanicos, qui ab Ammonitis acriter premebantur, à quibus in suum ducem electus est. igitur Jephte coactis copiis in ammonitas movit, illosque praelio fregit, cum prius voto se Domino obstrinxisset, post relatam de hostibus victoriam se in holocaustum oblaturum eum, qui è domo sua egressus primus sibi occurrisset; tum victori domum revertenti prima ipsi occurrit unica filia sua, cui postquam ipsa duorum mensium spatio in montibus virginitatem suam planxisset, fecit sicut voverat Jud 11, 1 et seq. Circa hoc Jephte votum non conveniunt S. Scripturae interpretes: SS. Patres et doctissimi quique Commentariorum scriptores agnoverunt Jephte re ipsa filiam suam Domino in holocaustum obtulisse, idque aperte innuere videntur textus verba; nihilominus ea aliter ac contra mentem veterum sibi exponenda susceperunt recentiores quidam interpretes, atque conantur evincere, a Jephte filiam hanc minime fuisse immolatam. verum hac de re videri potest Commentarius noster in v. 31 C 11 Jud. de Jephte nihil ultra meminit Scriptura, nisi postquam sexennio Rempublicam administrasset, mortuus fuerit, ac in Maspha civitate sua sepultus Jud 12, 7. ubi vulgata nostra omisso vocabulo Maspha eam simpliciter civitatem Galaad nuncupat; at C 11, v 11, ait eum in Masphath in ducem populi Israëlitici electum fuisse; unde habetur, urbem hanc ipsius patriam fuisse. Apostolus etiam Jephte inter viros veteris testamenti fidei merito insignes recenset Heb 11, 32. Jos 11, 3 Hevaeorum incolentium regionem Maspha ad radices montis Hermon sitam menti, quidam arbitrantur, hic intelligi regionem urbis Masphae, de qua proximum egimus.

288 11mo Abel seu Abela vel Abila urbs duodecim milliaribus à Gadara seu Gadara versus orientem. Jud 11, 33 legitur Jephte Ammonitas ab Aroër urbe usque Mennith, et usque ad Abel persecutum fuisse. Mennith et Aroër urbes fuerunt in tribu Gad, quae Jephte aetate Ammonitis parebant.

289 12mo Astaroth, seu Astaroth-Carnaim vel tantum Carnaim sive Carnion. urbs sita ad meridiem Abilae, et Adrae seu Edrai ad occidentem. Duo erant ejusdem nominis loca in Batanaea inter Abilam et Adraam sita novem circiter milliaribus inter se dissita, quod prodit Eusebius in Astaroth. In hac urbe Og rex Basan regiam habuit Deut 1, 4. Jos 9, 10. 12, 4. 13, 12. Dimidiae tribui Manasse tribuitur v 31. et inter refugij confinium, atque levitis de familia Gerson asseritur 1 par 6, 71. 1 mach 5, 26. Carnaim nuncupatur. Hostes Judaeorum duce Juda Machabaeo ab ijs contriti projectis armis fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim, quam Judas occupavit, fanumque una cum ijs omnibus, qui in illud se receperant, combussit. ibid 43 et seq. 2 mach 12, 21. et urbs haec Carnion vocatur, in quam Timotheus cognito Judae adventu mulieres, filios, et reliquum apparatum praemisit, quod inexpugnabilis videretur et accessu difficilis propter locorum angustias v. 21. nihilominus eam Judas occupavit interfectis hostium viginti quinque millibus v. 26.

Nomen Astaroth Carnaim ex cultu Astarthes Deae corniferae derivatum creditur; siquidem Carnaim redditur Cornua. procul dubio hujus Deae fanum fuit, quod Judas Machabaeus in Carnaim flammis addixisse dicitur loc cit. fuit autem Astarthes Dea Nemorum, Luna, Regina caeli, Dea caelestis, Venus caelestis, Dea Syriae, vel Venus Syria, Adonidis sponsa, Junonis filia, cujus simulacro vel caput bovis, vel cornua imponebantur, vid calmet in dict. V. Astaroth.

290\. 13tio Edrai urbs duabus leucis seu sex milliaribus ab Astaroth ad orientem. in hac urbe Og rex Basan

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

æque ac in Astaroth regiam habuit Deut 1,4. Josi 12,4 et 13,12
Prope hanc urbem rex ipse cum Israëlitis infeliciter pugnavit, quem una cum omni populo suo ad internecionem perculserunt, Num 21,33. Deut 3,1 seq. urbs hæc dimidiæ Tribus Manasse viris adscribitur Jos 13,31. Ibid 19,37 alia, hujus nominis urbs memoratur, quæ Tribui Nephtali asseritur, diversa utique ab illa, quam hic expendimus.

CAPUT V.

De Ituræa Seu De Tribubus Gad et Ruben.

291 S. Lucas Evangelij sui c 3,1. ambas Tribus Gad et Ruben sub Ituræa nomine comprehendisse videtur, prout alibi jam advertimus. Hæ tribus Ituræa nomen accepisse videntur ab Ituræis Jetur Ismaëlis filij Gen 25,15 1 par 1,31. posteris, qui à sua regione ad orientem Batanææ et ad meridiem Trachonitidis proprie posita profecti, in his Tribubus, post illarum devastationem, inter reliquias populi Israëlitici resederunt. 1 par 5,19.20. Manassitis, Gaditis et Rubenitis contra Agareos ab Agar Abrahami ancilla sic dictos populos, qui ad orientem Galaaditidis sedes habebant, dimicantibus auxilium præstitisse dicuntur; at nonnulli hunc Scripturæ locum sic intelligunt, ut Ituræi Agareis duntaxat contra harum Tribuum vires auxilium detulisse videantur.

Ituræa etiam alio nomine à profanis Scriptoribus Peræa dicitur à voce Græca περας, quæ trans significat, quod trans Jordanem posita sit: item Auranitis cujus sub Auran nomine meminit Ezechiel 47,16. Nonnulli Ituræam à Peræa distinguunt juxta binas tribus Gad et Ruben: priorem Ituream nuncupant, posteriorem verò Peræam, quos hic sequi placet. Igitur hujus capitis duo erunt §§. in quorum primo de Ituræa propria seu Tribu Gad, in secundo autem de Peræa seu Tribu Ruben differemus.

§ I

De Ituræa propria Seu

292 Tribu Gad

Ituræa propria seu Tribus Gad hi sunt limites ad orientem montes Galaad, ad meridiem Peræa seu Tribus Ruben, ad occidentem Jordanes, et ad septentrionem dimidia Tribus Manasse.

Post devictos Amorrhæorum Reges Og et Sehon Tribus Gad et Ruben eam sibi regionem concedi postularunt pascuis divitem, qualem hæ tribus pecoribus abundantes exigebant. Num 32,1 seq. acquievit Moyses eâ tamen lege, ut trajecto amne fratres suos in obtinenda Chananitide adjuvarent Num 32,28 seq. Tribubus igitur Gad et Ruben, quibus dimidiam Tribus Manasse adjunxit, regna Sehon regis Amorrhæ et Og Regis Basan tradidit, quod Josue repetit 13,8 seq. ubi singulis constituit fines suos. Hac tribui Gad ea pars obtigit, cujus limites prius expressimus. In ea notari merentur.

293 Imo Aroër urbs tanquam terminus utriusque Tribus designatur, Tribui Gad ad meridiem et Tribui Ruben ad septentrionem, in confinijs Ammonitidis, Moabitidis et Amorrhæorum sita ad ripam Arnon fluvij prope ad ipsius fontes, Deut 2,36. et 3,12 Item 4,48. Josi 12,2 13,9.16.25. Num 32,34 Gaditæ dicuntur eam extruxisse, id est restaurasse, nam prius jam oppidum seu urbs erat. Deut 2,36. Jephte videtur prope hanc urbem cum Ammonitis dimicasse, quos inde persecutus est usque Mennith et Abel, quæ vineis consita est, atque eadem esse videtur ac Rabba seu Rabbath Ammon, de qua mox plura, Jud 11,33. Joab et Principes exercitus Davidi